



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] aduocatus peccet pecunia[m] accipiendo pro suo patrociniio? 4

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

causam iustam, licet prudenter occultare ea, quibus impediri posset processus eius: non autem licet ei aliqua falsitate uti.

## ARTIC. IV.

*Vtrum aduocato liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere?*

396  
Opus. 19.  
6. 7. cor.

**A**D quartum sic proceditur. Videtur, quod aduocato non liceat pro suo patrocinio pecuniam accipere. Opera enim misericordiae non sunt intuitu humanae remunerationis facienda: secundum illud Lucæ 14. Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque vicinos diuites, ne forte & ipsi te reuoluant, & fiat tibi retributio. Sed præstare patrocinium causæ alicuius, pertinet ad opera misericordiae, ut dictum est\*. Ergo non licet aduocato accipere retributionem pecuniæ pro patrocinio præstito.

ar. 1. hu-  
sus 9.

¶ 2 Præterea, Spirituale non est pro temporali commutandum. Sed patrocinium præstitum videtur esse quoddam spirituale, cum sit vsus scientiæ iuris. Ergo non licet aduocato pro patrocinio præstito pecuniam accipere.

Ep. 54 in  
2. pag an  
te fin. il-  
lius, to 2.  
Eod. loco  
nunc pro  
ximè di-  
cto.

¶ 3 Præterea, Sicut ad iudicium concurrunt persona aduocati, ita etiam persona iudicis, & personæ testis. Sed secundum Augustinum ad Macedonium\*, non debet iudex vendere iustum iudicium, nec testis verum testimonium. Ergo nec aduocatus poterit vendere iustum patrocinium.

SED contra est, quod August. dicit\* ibidem, quod aduocatus licetè vendit iustum patrocinium, & iurisperitus verum consilium.

RESPONDEO dicendum, quod ea quæ quis non tenetur alteri exhibere, iuste potest pro eorum exhibitione re compensationem accipere. Manifestum est autem, quod aduocatus non semper tenetur patrocinium præstare, aut consilium dare causis aliorum. Et ideo si vendat suum patrocinium, siue consilium, non agit contra iusticiam. Et eadem ratio est de medico

dico opem ferente ad sanandum, & de omnibus alijs huiusmodi personis: dum tamen moderatè accipiant, considerata conditione personarum, & negotiorum, & laboris, & consuetudine patriæ. Si autem per improbitatem aliquid immoderatè extorqueant, peccant contra iustitiam. Vnde August. dicit \* ad Macedonium, quòd ab his extorta per immoderatam improbitatem repeti solent, data per tolerabilem consuetudinem non solent.

*Ep. 54. nō  
multū re  
motè an-  
te fi. 10. 2*

Ad primum ergo dicendum, quòd non semper quæ homo potest misericorditer facere, tenetur facere gratis: alioquin nulli liceret aliquam rem vendere, quia quamlibet rem potest homo misericorditer impendere. Sed quando eam misericorditer impendit, non humanam, sed diuinam remunerationem querere debet. Et similiter aduocatus, quando causæ pauperū misericorditer patrocinatur, non debet intendere remunerationem humanam, sed diuinā: non tamen semper tenetur gratis patrocinium impendere.

Ad secundum dicendum, quòd et si scientia iuris sit quoddam spirituale, tamen vsus eius fit opere corporali. Et ideo pro eius recompensatione licet pecuniam accipere: alioquin nulli artificii liceret de arte sua lucrari.

Ad tertium dicendum, quòd iudex & testis communes sunt utrique parti: quia iudex tenetur iustam sententiam dare, & testis tenetur verum testimonium dicere. Iustitia autem & veritas non declinant in vnā partem magis, quàm in aliam. Et ideo iudicibus de publico sunt stipendia laboris statuta; & testes accipiunt, non quasi pretium testimonij, sed quasi stipendium laboris, expensas, vel ab vtraque parte, vel ab ea, à qua inducuntur: quia nemo militat stipendijs suis vnquam, vt dicitur 1. ad Corinth. 9. Sed aduocatus alteram partem tantum defendit. Et ideo licitè potest pretium accipere à parte, quam adiuuat.